



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii
In India Socij**

Trigault, Nicolas

Coloniae, 1611

V. Quid Goæ fecerit ad aduentum vsque B. Xauerij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45183

tus, confessiones audiit, dissidentes composuit, ægros in valetudinario, in domibus, captiuos in custodijs publicis visitauit; & hæc præter Missæ sacrificium & horarum Canonicarum recitationem. Illius socius Ludouicus Froez, qui hoc iter describit, ad ea obstupuit, ac felicè se, qui hæc videret, existimauit. Inde magnum sui desiderium ac Societatis Chaul relinquens, Goam petiit, ac sub medium, vt dixi, ferè Nouembrem appulit.

CAPVT V.

*Quid Goæ fecerit ad aduentum vsque
B. Xauerij.*

GOAM vbi peruenit, Cocinū vnde non nisi Aprili mense anni sequentis erat, vti putabat, soluturus, mox ire meditabatur, quò sese ad iter cōpararet: sed cum Goanus Rector (is erat P. Paulus Camers, cui iussu Xauerij P. Antonius Gomez tantisper munus resignarat, dum aliud statueretur, vt dicemus) interim Goæ tantum opera-

operariorum retinere maluit: quod
 planè diuino consilio factum est, ut
 Goa perinde ac Armuzia Gasparis
 studio excoleretur. Itaque, ne esse
 otiosus Goæ videretur, multa simul
 suscepit ac perfecit; & appellens
 (quî enim se contineat inflamma-
 tus diuini verbi præco?) etiam ante-
 quam in Collegium intraret, ipsum
 portum vna quodammodo concio-
 ne in vicina æde salutauit; inde ad
 carissimos fratres Patresque perre-
 xit. Postquam autem accepit, con-
 stitutum esse, illic nauigationis tē-
 pus præstolari; vetere instituto ad
 Christianam doctrinam egreditur,
 & nescio cui Patrum aut fratrum no-
 lam eripiens, in plateas erupit. Cō-
 ciones porrò erant de more, hebdo-
 madis singulis, non pauciores tre-
 decim aut quatuordecim. Refruxe-
 rat eo ferè tempore Goensis populi
 feruor, vel absentia Xauerij, vel na-
 turæ nostræ conditione ad natium
 se frigus reducentis: sed nimirum
 ut Gaspar eum accenderet, vide-
 batur refrixisse. Nam breui ut

auditum est, Armuzianum illum Gasparem, prodigium sanctitatis, in D. Pauli æde verba facere; ad eum audiendum vniuersi confluebant: nec iam capiebant templa; in atria sub dio (quod iam illi videbatur esse sollemne) populus cogebatur. Eo tempore Iubilæum à Beato Ignatio, concedente Pontifice, in Indiam missum, cœptum est euulgari. Gaspar aliquot antè concionibus, & illius rationem exposuit, & quid ad eius consecutionem opus esset, declarauit. Cuius fructus non aliter facile potest explicari, quàm si dixerimus, quod ex India tum scribebatur, nihil hæctenus simile in India visum fuisse. Poenitentium numerus, restitutiones factæ, & id genus alia ideò tacentur, quòd iam sub Gaspare vulgaria essent hæc omnia, & sæpè repetita. hoc singulare, quod ex omnibus vicinis emporijs, Baccaino, Tana, Chaul, Cocino, Cranganore, ceterisque concursum. Interim dum ista Gaspar, Patres quotquot poterat, Goã conuenerat mandato

dato Xauerij, qui abdicato iam P. Antonio Gomez, P. Paulum Camerem substituerat, dum Patres communi consilio alium eligerent, qui Xauerij locum obtineret. Dum ea scripsit Xauerius, ex Iaponia in Indiam redire, vel nunquam vel certè nondum statuerat: sed mutato deinde consilio, cum in Chinensem expeditionem, re Iaponica benè constituta, oculos coniecisset, non promouendæ rei Christianæ magis, quàm sanguinis profundendi cupidus, in Indiã statuit sibi necessariò reuertendum: tũ, vt quod alijs mandarat ipse per se faceret, tum vt delectum faceret, vel Iaponicorum auxiliorum, vel comitum in Chinensem expeditionem. Itaque anno salutis nostræ 1552. ineunte Febuario, adfuit omnibus improuisus; sed tamẽ eo gratior, & maximè in eo Patrum concursu opportunus.